Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31624
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



ex ppa noctis principio psalmo dia sollempnitas adimplebat. reliqua uero orationum tempora implebat oratorio quo manebat. In quibus sepe celestibus informatus oraculis multa futura pdi gratiam predicebat. multorum et occulta cognoscens ut opus erat proferebat in medium. et singulis remedium prout poscebat modo egritudinis prouidebat. Stratus eius unum erat in oratorio pauimento cilicium. omni tempore ipso quo uestiebatur amictu et dum quiescere uenerat. Nunquam ante solis occasum non certa soluit festiuitate ieiunium. xl lune uero temporibus una per ebdomadam refectione contentus. equali uultus hilaritate fulgebat. Aliena quasi propria defensa erat. quibus potuit presidiis temperabat. Deinde post multos agones et diuturna certamina cum se iste beatus seuerinus de hoc seculo transiturum deo reuelante sensisset. memoratum rugorum regem feuam cum uxore eius crudelissima nomine Gisa. ad se uenire commonuit. Quem cum salutaribus exhortatus esset affatibus. ut ita cum sibi subiectis ageret. quod se iugiter cogitaret pro statu regni sui rationem deo redditurum. aliisque uerbis intrepide monuisset. pretenta manu regis pectus ostendens. reginam his interrogationibus arguebat. Hanc inquit animam Gisa. an aurum argentumque plus diligis. Cumque illa maritum se diceret ecclesiis opibus anteferre uir dei sapienter adiecit. Ego inquit desine innocentes opprimere. ne illorum afflictio uiram magis dissipet potestatem. Et tenim mansuetudinem regiam tu sepe conuellis. At illa. Cur nos inquit sic accipis serue dei. Cui ipse. Contestor ait uos ego humilis iam profecturus ad dominum. ut ab iniquis actibus temperantes. piis insistatis operibus. huc usque regnum uestrum prosperatum est auctore domino. iam ex hoc uos uidertis. His monitis rex cum coniuge sufficienter instructi. uale dicentes ei profecti sunt. Tunc sanctus non desinebat de sue migrationis uicinia suos alloqui dulcedine caritatis. quod quidem facere non ante cessauerat. Scitote inquit fratres. sicut filios constat ereptos esse de terra egipti. ita ecclesiastici populos terre huius oportet abire iusta barbarorum dominatione liberari. Et tenim omnes cum suis facultatibus de his oppidis emigrantes. ad romanam prouinciam absque ulla sui captiuitate peruenient. Sed memento precepti sancti ioseph patriarche. cuius uos ego indignus et infirmus attestatione conuenio. Visitatione uisitabit uos deus. et tolletis ossa mea hinc uobiscum. Quod non mihi. sed uobis est profuturum. Hec quippe loca nunc frequentata cultoribus. intra uastissimam redigentur solitudinem. ut hostes estimantes auri quippiam se reperturos. et mortuorum sepulturas effodient. Cuius uaticinii ueritatem. euentus rerum presentium comprobabit. Leuari uero suum corpusculum pater sanctissimus pietatis prouidus argumentis precepit. ut dum generalis populi transmigratio peruenisset. indiuisa fratrum quasi acquisierat congregatio proficiscens. obtentu memorie eius in uno societatis uinculo permaneret. Diem et quo transiturus esset idem beatissimus seuerinus ecorpore. ante duos et amplius annos hac significatione monstrauit. Epiphaniorum die cum sanctus se lucillus presbiter abbatis sui sancti ualentini retiarum quondam episcopi diem depositionis annua sollempnitate incertinum celebraturum sollicitus intimasset. idem famulus dei ita respondit. Si beatus ualentinus hec tibi celebranda sollemnia delegauit. ego quoque tibi in eodem die uigiliarum mearum studia obseruanda migratus decorpore delinquo. Ille his sermonibus tremefactus. cum se magis utpote homo decrepitus enixius commendaret. quasi premitus transiturus adiecit. hoc erit sancte presbiter quod audisti. non enim dominum constitutum humana uoluntate preteriet. Preterea fridericus a fratre suo Rogorum rege feua. ex paucis quas superiora danubii remanserant oppidis unum acceperat fauianis. iuxta quod sanctus seuerinus ut retuli commanebat. Ad quem cum idem fridericus ex more salutaturus accederet. cepit ei ex miles iter suum enixius indicare. sub contestatione hec proloquens. Nouis me inquit quantotius ad dominum profecturum. et ideo commonitus precaueto. ne me discedente aliquid horum quod mihi commissa sunt adtaminare pretemptes. et subiam pauperum captiuorumque contingas. indignationem dei quod absit tali temeritate sensurus. Sed fridericus insperata commonitione perculsus. cur inquit hac contestatione confundimur. cum non optemus tantis orbari presidiis. et sancte caritatis tue quod omnibus nota est conferre nos aliquid deceat non auferre. quatinus solita sicut pater noster flaccitheus tua merear oratione muniri. quod experimento didicit sanctitatis tue meritis se fuisse semper adiutum. Et ille. Qualibus inquit occasione cellula mea uolueris ledere. et hic statim probabis. et in futuro solues quod non opto uindictam. Tunc fridericus promittens se ad famuli monita seruaturum. remeauit ad propria. Doctor uero dulcissimus non cessabat suos alloqui per momenta discipulos dicens. Confido de gratia domini m. i. x. quia uobis inopere suo durantibus. et mee memorie pacata societate coniunctis. eterne uite bona tribuet. non presentium solatia denegabit. Nonis itaque iam cepit tenuiter lateris dolore pulsari. quo durante per triduum. medio noctis tempore fratres ad esse precepit. Quos decorpore suo commonens. et paterna informatione corroborans. instanter ac mirabiliter talia prosecutus aiebat. Filii in xpo karissimi. scitis quod beatus iacob conditione mortis instante filios suos ad esse precipiens. propterea benedictionis affatibus singulos quosque remunerans. misteriorum archana prodidit futurorum. Nos uero infimi ac tepidi. tanteque impares pietati. hanc prerogatiuam nostris usurpare uiribus non audemus. Unum tamen quod humilitati congruit non tacebo. Mittens uos ad exempla maiorum. quorum intuentes exitum conuersationis. imitamini fidem. Abraham namque uocatus a domino fide obediuit ut exiret in locum quem accepturus erat in possessionem. et exiit nesciens quo uenturus esset. huius igitur beati patriarche imitamini fidem. imitamini sanctitatem. terrena despicite. patriam celestem semper inquirite. Confido autem in domino. quod mihi de uobis eterna lucem peruenient. Video enim uos gaudium meum feruore spiritus ampliasse. amare iusticiam. fraterne caritatis uincla diligere. castitati operam dare. humilitatis regulam custodire. hec quantum ad hominis spectant intuitum. laudo confidenter et approbo. Sed orate ut quod humanis aspectibus digna sit eterne discretionis examinatione firmetur. quia non sic uidet homo. uidet deus. Ille siquidem sicut diuinus sermo denuntiat. omnia corda scrutatur. et omnes mentium cogitationes ante uenit. Assiduus igitur precibus hic orate. ut oculos cordis uestri dominus illuminet. eosque sic orauit beatus helisei aperiat. quo possitis agnoscere. quanta nos circumstet ad iumenta sanctorum. quanta fidelibus auxilia preparentur. Beatus enim noster simplicibus appropinquat. Non desit militantibus deo iugis oratio. non pigeat agere penitentiam. quos non puduit facinus perpetrare. Non dubitet lugere peccata. si quomodo diuinitas offensa lacrimarum inundatione placetur. quia spiritum contribulatum suum dignatus est uocare sacrificium. Simus igitur corde humiles. mente tranquilli. delicta omnia precauentes. ac